



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

Družbicki, Kaspar

Coloniæ, 1721

Consid. 22. Stimuli solidæ & solidandæ virtutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](#)

Enervari virtutem, etiam neglectu atque non usu virtutis, certum est, nec probandum multis. Aqua immota putrescit. Instrumenta etiam ferrea, si in usu non sint, rubiginem contrahunt. Otiosa virtus mortua est. Agere oportet, qui vult virtutem sive habere, sive solidare. Est autem otiosa virtus non solùm quando prorsus nihil & nunquam agit, sed etiam quando vel agere differt, vel agit perfundatoriè. Virtutis verbum est *bodie*, *cras* non novit dicere. Virtutis verbum est, *nunc cæpi*. Virtuti dicitur: *festina, accelera*. Si non festinat, tardat: si tardat, negligit: & quomodo non etiam otiosa est? immò vero est etiam maledicta, *maledictus enim qui facit opus Dei negligenter*. Sed de hoc puncto plura etiam dicta sunt superius. Quando de usu virtutum agimus non negligendo, non est opus verbis, sed ipso usu. Utamur ergo virtutibus, hoc est enim opus nostrum & opus virtutis nostræ.

D I E S VIII.

De rationibus & causis solidandæ virtutis.
recensentur sexdecem causæ seu stimuli.

CONSIDERATIO XXII.

Stimuli solidæ & solidandæ virtutis.



Ausas etiam suadentes nobis & excitantes nos ad solidandam virtutem adducere atque expendere, operæ pretium est. Et si enim ea res cuique obvia est & superius a liâ occasione nonnulla dicta sunt, quæ ad hoc propositum faciunt: complementi tamen causâ nihil oberit,

oberit, hoc loco etiam aliquid saltem attingere, ex-
aggerare enim facilitas materiæ non sinet.

1. Urget nos ad solidandam virtutem in primis
exiguitas, teneritudo. & parvitas paucitatisque vir-
tutum quas habemus, quam quidem nobis con-
scientia nostra facile ob oculos ponet, si quotidianas
imperfectiones proponet. Has igitur inspiciamus,
paucas & parvas virtutes inesse nobis credamus, de
iisdem augendis & augmentandis concludamus.

2. Urget nos etiam ad ipsum fragilitas & incon-
stantia virtutis. Maximæ quæque columnæ cœli
ceciderunt & contractæ sunt, quidni nos timea-
mus nostro vitro, ne frangatur & solidetur, ne fran-
gatur. quam diu hic vivimus, peccare possumus; &
parum est causæ, ut nos quotidiè solidemus?

3. Urget nos ad istud ipsum virtutum solidan-
darum studium, temporis ad hoc studium apti
brevitas. Tempus breve est totum; sed bene, sed
perfectè vivendo brevissimum: nisi cauti simus, nisi
scilicet semper perfectè vivere, perfectè omnia fa-
cere conabimur. Redime tempus, quisquis es ama-
tor virtutis.

4. Urget nos ad id ipsum, multitudo meliorum
solidius Deo servientium. quanti sunt, qui nobis
in Religione posteriores (non ita instructi præsidiis
naturæ, doctrinæ, gratiæ, non in tam disciplinata
familia, carentes tot præsidiis, tot stimulis, curis,
occasionibus, exemplis) perfectiores tamen suut!
Ii ipsi, quorum in spiritu Duces sumus, quam multi
prævolant nos! festinemus vèl sequi, si prævenire
tardavimus.

5. Urget nos ad id ipsum paucitas merito-
rum

rum, quæ comparavimus pro vitâ ordinatâ, & qui-
dem non nisi per nostram locordiam, quam tandem
excutere, tempus, ætas, ratio, Deus, conscientia,
vocatio, monent, jubent.

6. Urget nos ad id ipsum, mors instans, & fortè
ex insidiis sed propinquis nos captans. Quod in
morte facere velles, id jam facito, quia fortè jam in
morte es. O quantum solatum morienti fervens
vita! Hoc solatum qui tibi optas, cur fervorem
non procuras?

7. Urget nos ad id ipsum tanta spiritûs scientia,
tantumque lumen in divinis: quod quid prodest,
si non lucet? & si lucet, quid prodest, si non etiam
ardet? Prô! quanti indocti surgunt & rapiunt per-
fectionem, nos autem in lumine nostro & cæci su-
mus, & testudine tardius pergimus, assamque ut
columbam ore hiante, sic cœlum captamus! Et
quid respondebimus Christo? vel quād durum
erit audire ab ipso: Et tu non potuisti pervenire, quō
iste? tantum meâ divinitate frui nunc, quantum iste?
O quād durum erit audire, quando dicetur alteri:
Amice ascende superius. mihi autem: *descende, da*
huic locum. quād durum erit videre, cū ecce multi
venient ab oriente pueritiae, & occidente tardæ in se-
necta conversionis, (qui tamen expleverint tempora
multa) & recumbent cum Abraham, & parem merce-
dem accipient his, qui portaverunt pondus diei &
estus!

8. Urget nos ad id ipsum ætas. Juvenis & robu-
stus es? ergo fervere debes, quandoquidem fervet
ætas, & serviunt anni: nam in senio fractæ vires
magis de corpore quād de animo solicitabuntur.

Senu-

Senuisti ? igitur quantò propiorem finem vides , tantò te urge amplius. Non senescit virtus , fides non computatur annis. Fervor semper juvenis est & ideo in fine ne corrumpas : In fine motus velocior.

9. Urget nos ad id ipsum tanta stimulorum gratiae efficacia atque perpetuitas. Hic se quisque inspiciat ex perfectis. Durum certè cor esse debet illud , quod ad stimulos tantos tam assiduos , tam potentes , tam congruos , nihil velocius currit : an fortè occalluit , & jam sentire desuevit ? ô absit ! *Videte ergo, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis , sed curate, ut possitis dicere: Gratia Dei nulla in me vacua fuit.*

10. Urget nos ad id ipsum ratio reddenda, non dico jam peccatorum , non dico vitiorum (careamus his , licet per me) sed virtutum non perfectarum , sed gratiarum non admissarum , sed inspirationum & invitationum non auditarum , sed occasionum neglectarum, & otiosè dimissarum , sed exemplorum propositorum & nonexpressorum.

11. Urget nos ad id ipsum illa nostra tanta propositorum , & designationum & resolutionum multitudo , quæ omnis penè omnis in cassum cecidit. in chartis tantum nostra scripta perfectio fuit ; in operibus,in cordibus ulla vix fuit. Et quis dicet? quis sine pudore cogitabit, quantis nugis impediti, quantis ineptiis leviculisque rebus ac rationibus deterriti fuerimus dejectique à propositorum constantia ! Revoca, quisquis es , hæc tibi in mentem , quæ dico ; & in nullo mihi errde , si in hoc fallo. Propter iustum oculi alieni , propter motum labii

alieni

alieni, facti sumus quām sāpē desertores fermē omnis nostri propositi!

12. Urget nos ad id ipsum pudor ille dolorque æternus, quem tepidi, si non habent, habere certè digni sunt, & haberent, si possent, in cœlo. Et quid ni haberent, quando videbunt, quantum boni cœlestis in æternum lucrati fuissent, si tantillo conatu tempore vivendi & agendi excussissent? quo interim bono carebunt in æternum, aliis innumeris suis sodalibus eo fruentibus ob fervorem strenuum.

13. Urget nos ad id ipsum, periculum amittendarum gratiarum tam copiosarum, & forsitan etiam universalium: neque enim hoc novum, tepidis evenire & non ferventibus apud Deum. An non Apostolus ille erat, cui Christus dixit: *Si non lavare te, non habebis partem mecum in æternum?* Ioan.

13. 8. Et tamen ipso met Christo teste, non indigebat ille nisi pedes lavari. Ergo ob nolle sibi pedes lavari, merebatur parte cum Christo in æternum privari. Quis crederet, si veritati non crederet? Et tu ergo time, ne audias, immò ne sentias similiter. Excute torporem, excita fervorem, lava etiam pedes, etiam digitos, etiam ungues extremos, ut nihil sit in te, quod sponso displiceat in te: nam non est parvum, quod ad sponsi non admittit complexum, immò & conspectum.

14. Urget nos ad ipsum, suppletio præteritorum damnorum, per vitæ superioris negligentias contractorum (taceo, per peccata gravia) quantas nos actiones sine fructu egimus hactenus! quantas actiones in se sanctas, nos imperfectè fecimus, & nostris imperfectionibus inquinavimus, si non

si non inutiles reddidimus ! Quot meditationes diurnas (E. G. dictum sit) nos indebitâ diligentia perfectione que fecimus ? quoties imperfectè preparati ad Sacram Communionem, Missam ve accessimus ! mitto alia. & quanta hic damna spiritus ac meritorum & gratiae ! & nunquid non competens esset , supplendi rationem inire & sarcendi iuppleri posset fervore, si non pigeret nos ipsius fervoris damna prius fervore supplere.

15. Urget nos ad id ipsum ipsamet Virtus solida. Si non solida est, hoc certè exigit, ut impigrat, ut nihil negligat, ut suo ingenio indulgeat, ut suis alimentis pascatur. Adolevit enim fervore , nutritur fervore, saginetur fervore , impugnetur fervore , quia etiam coronanda est caritatis consummatæ fervore. Ne ergo naturæ suæ obliviscatur , fermeat : ne marcescat & langueat : ut facile ad coronam Justitiae perveniat , & parum illi ex hac vita , vel nihil desit ad coronidem suam , fermeat ; tota ejus cum sit cogitatio , tota occupatio , ut fermeat.

16. Urget nos ad id ipsum natura cordis seu mentis nostræ , quæ talis est, ut te pore & cessatione à bono jugiter magis magisque angustetur & ad recipiendas Divinas gratias [sine quibus nihil potest nostra infirmitas] assiduò magis arcta incapaxque reddatur. Potest ergo evenire cordis nostri vas, ut ita arctetur & angustetur , ut neque guttam, neque micam , neque atomum gratiae, aptum sit recipere, radiolumve inspirationis divinæ persentiscere valeat. Et quæ potest esse major cordis miseria ,

N

quam

quām si illud subingredinon possit Dei gratia ? Vx
animæ , in qua Christus non potest ullas virtutes
operari ! Operemur ergo, dum lucem habemus, ne nos
tenebra comprehendant , ne veniat tempus , in quo
& cor nostrum non possit operari, & Deus in corde
non possit virtutem ullam facere. Dum tempus ha-
bemus , operemur bonum ad omnes , ad Deum , ad
proximum , ad nos , ad omnem creaturam ; ut cres-
camus in viros perfectos , in vasa auri solida, in
mensuram etatis plenitudinis Christi.

D I E S IX.

De signis solidæ virtutis.

CONSIDERATIO XXIII.

Quænam signa solidæ virtutis sint.



D coronidem tandem deduximus
solidam virtutem. Signa ejus ex-
ponimus ; ut qui signa viderit ejus
in se , gratuletur illam sibi inesse ,
meminerit tamen, ut in Domino glo-
rietur , ne sit ad insipientiam sibi : qui verò minùs
ea in se deprehenderit , curet omni meliori modo ,
& ea tandem in castello animæ suæ collocet , ut
ipse de eorum præsentia apud se non minùs gaudere
quām securus in idipsum dormire sub aliis Domini
Virtutum possit. Et est quidem Virtus solida, ipsa sibi
signum satè evidens; neque enim se occultare potest
sibi. Sed tamen habet & alia signa , per quæ cog-
nosci possit , etiam ab aliis , alioqui ipsi de sese testi-
monium perhibenti non credituris.

I. sig-